Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47060
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

DE REGIMINE ABBATVM, CONVENTVALIVM NOMINIBVS, PROFESSIONE, ORDINIBVS, OBITV, ITEM DE ÆDIFICIIS, ALIISQVE MEMORATV DIGNIS.

Autor ad Lectorem.

Noverint universi hanc nostri Cænobii Chronicam inspecturi, Antecessores nostros, licet in scribendis ac describendis codicibus impense ac impigre olim laboraverint, magnumq; librorum scriptorum thesaurum nobis reliquerint, hoc tamen in genere aut nihil laborasse, aut labores illorum quali quali tandem incuria periisse. Nemo proinde mirabitur, minus mihi vitio vertet, si in describendo primorum Abbatum ac Conventualium regimina secundum, quantum par est, fuero brevior; saeculo quippe veterum literas volvendo ac revolvendo de hisce reperire potui. Sequaces ac successores meos hortor, & in Dno rogo, ut captum hoc per me opus Chronologicum pro suamet, posterorumq; utilitate continuando perficere non negligant: recepturi à Deo huius, aliorumq; laborum pro ipsius gloria, Monasterijq; comodo susceptorum mercedem cumulatissimam, cuius solius intuitu labores nostri ubi insituuntur, recte insituantur. Deus Opt: Max: modernum nostrum Admodum Reverendum Patrem ac Dominum Thomam Abbatem meritissimum ac feliciter regnantem, cum sua Religiosa ac pia Fratrum caterva ad multos annos sospitem & incolumem conservet, bonum quod cœpit in nobis, perficiat, iucundaq; tandem ac optata beatorum Civium societate æternum frui ac gaudere faciat.

Conradus Abbas primus.

Vide Cod. C. XIV. 07.

Primus iste Monasterii nostri Abbas Conradus Anno Millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, septimana diem S. Gregorii precedente, obedientia conducente, de Cæsarea Matre nostra Reverendissima cum duodecim fratribus et quinq; Conversis huc venit.

Per duodecim pene annos primus Conventus, antequam novi Monasterii structura perficeretur, & ad habitandum accomodaretur, residebat in Claustro ligneo apud S. Joannem in multa austeritate, sollicite precaveus, ne religio ac disciplina, q Sacrum nostrum decet vivendi, quomodolibet rumperetur.

Preclarum imitandi exemplum nobis reliquerunt, quod nobis terrie in dicto Claustro ligneo tanquam veri Monachi, & solitarie vitæ amatores, à vanitate & strepitu curiosi & inquieti seculi se cohibentes studiose precaebant, ne cuique darent ulla offensionem, neve vituperaretur ministerium novum eorum, q mxe erat necessarium, cum eo tempore ad Capellam S. Joannis caterratim undiq; maximus esset concursus & confluxus virorum & mulierum, Precursori Altissimi opem ac beneficia, quæ quotidiani exhibebat miraculis, invocantium.

Annus Coeli 1273. usq; ad 89.

Quanto tempore rexerit Monasterium, quove anno obierit pius iste ac primus Pater, nulla q. sciam, veterum litera tenet, diem obitus reperi decimum septimum mensis Februarii.

Emit Monrio Curiam Eybrugg. Item domum & 2 Vineas in Hagenach pro marcis 56. & 44. faciunt centum marcas.

S. Pontifex.

Sedit hoc tempore Gregorius decimus, qui laudabiliter rexit Ecclesiam Dei 4 annos, 4 menses, dies 10. A°. 1271.

Innocentius V. qui sedit menses 5. dies 2. A°. 1276.

Adrianus V. sedit mensem unum, dies 9. A°. 1276.

Joannes Vigesimus, dicq vj. sedit menses 8. dies 5. A°. 1276.

Nicolaus 3. sedit annos 2. menses 8. dies 22. A°. 1277.

Martinus 4. sedit annos 4. m. 1. d. 7. A°. 1281.

Cæsar.

Romani Imperii tenebat Rudolphus primus Comes Habspurgius, Author Serenissimæ Stirpis Austriacæ, qui natus est A°. 1218. Obiit in urbe confectus Germersheimii Anno 1291. Ætatis suæ 73. mens. 2. D. 18. Sepultus est Spirae. Alii volunt obiisse Erfurti.